

atque in praesentiarum cordatis mentione haud dignus, si inter ignaros suis praestigiis stragem non faceret ¹.

164. Cum autem spiritismi sectatores, qui per innumeras prope fictiones et mendaces exhibitiones incautos decipiunt, passim diabolicas admittant et promoveant operationes, haeresesque plurimas, praesertim contra aeternitatem poenarum inferni, sacerdotium catholicum et iura Ecclesiae, spargere non timeant, non possunt ipsi, neque in interno foro neque in externo, tractari veluti ordinarii peccatores tantum, sed haberi debent ac iudicari veluti haeretici vel haeticorum fautores ac defensores, nec poterunt ad sacramenta admitti, nisi reparato scandalo et facta abiuratione *spiritismi* emissaque fidei professione, iuxta normas a theologis praescriptas.

165. Hortamur parochos, ut indefesso zelo laborant, in mundando agro ipsis, concredito a variis aliis superstitionibus, quae velut prava germina ex ignorantia erumpentes, ac inter rudiores praesertim gliscentes, fidem saepe moresque corrumpunt. Nec parochi omitant superstitiones a se detectas Episcopo denunciare, ut ipse provideat ac iudicet.

CAPUT VII.

De secta Massonica aliisque sodalitatibus illicitis.

166. Clandestinas sectas, ubi primum in perniciem religionis, reipublicae ac societatis eruperunt, Apostolica Romanorum Pontificum sollicitudo improbare, condemnare, atque gravissimis poenis coercere non omisit.

¹ Cfr. Conc. Prov. Valent. an. 1889, p. 1. tit. 2. cap. 1.

In quo mirabilis quidem fuit SS. D. N. Leonis XIII zelus ac sapientia, qui per Encyclicas Litteras *Humanum genus*, datas die 20 April. 1884 ¹, massonicam sectam aliasque ex ea prognatas solemniter proscripsit. Quibus Litteris earumdem sectarum doctrinas, finem, consilia detegit, curas Romanorum Pontificum ad liberandam a tam nefaria peste humanam familiam enarrat, easdem sectas iterum et ipse damnationis et censurae nota inurit, simulque docet, qua ratione, quibusque remediis, illatis ab iisdem vulneribus sit medendum.

167. Cum autem Romanorum Pontificum declarationes contra societates secretas, in laudatis litteris Encyclicis *Humanum genus*, sermone gravi aequae ac deserto, collectae ac renovatae ² inveniantur, illas ex integro in Appendice ³ inseri iussimus, ut animarum pastoribus norma sint tutissima, ad fideles sibi commissos opportunè commonendos. Mandamus etiam, ut Instructiones et decreta Sanctae Sedis ⁴ hac in re accurate serventur et fortiter applicentur, ut morbus iste pestifer e societate religiosa simul ac civili tandem expellatur.

168. Et quoniam plurimis in regionibus nostris impiorum machinationes et fallaciae eo tendunt, ut saluberrima contra pestem societatum clandestinarum decreta et mandata Apostolica inania faciant, sub ementito praetextu, a Pio IX et Leone XIII pluries damnato, scilicet non eandem esse naturam sectae Massonicae in omnibus nationibus, sed eam quae alibi periculosa

¹ V. Appen. n. LII.

² Cfr. Conc. Plen. Baltim. III. an. 1884, art. 244.

³ V. Appen. n. LII.

⁴ V. Appen. n. XV; XXXVIII; XLII; XLIX; LIII; XCVII; CVII; XIX; CXIV. Cfr. Coll. P. F. n. 1856-1865.

est ac omnino proscribenda, alicubi innocuam esse ac honestam, quia, aiunt, diversa sunt dogmata, fines, actiones; sedulo curent animarum pastores, ut tam perniciosus error, tam audax praetensio, a patre mendacii excogitata, ut incautos decipiat, penitus eliminetur. *Ea est enim rei ipsius natura et gravitas, talisque Apostolicarum Constitutionum tenor, ut minime dubitari possit quin voluerint laudati Pontifices iisdem obligari omnes et singulos Christifideles, nullo habito locorum, temporum, nationum vel rituum discrimine* ¹.

169. Sciant vero omnes fideles excommunicationi latae sententiae, Romano Pontifici reservatae, subiacere « nomen dantes sectae *Massonicae* aut *Carbonariae* aut aliis eiusdem generis sectis, quae contra Ecclesiam vel legitimas potestates seu palam seu clandestine machinantur, nec non iisdem sectis favorem qualemcumque praestantes, earumve occultos coryphaeos ac duces non denunciantes, donec non denunciaverint » ². Haec porro denunciandi obligatio urget, etiamsi coryphaei sint publice noti ut *massones*, sed non sint publice noti ut coryphaei vel duces huius sectae; neque ab onere denuntiationis excusata ratio, quod in regione *massones* et ideo ipsorum coryphaei a gubernio civili tolerantur, et ab ecclesiastica potestate puniri non possunt, nec ullo modo cohiberi ³.

170. In quacumque orbis regione, hominibus liberorum massonum societati aggregatis, licet emissi iuramenti eos poeniteat, sacramentalem absolutionem neque licite neque valide confessarius impertiri potest, prius-

¹ S. C. de Prop. Fide Litt. Encycl. an. 1867 ad Delegat. Apost. et Episc. Orient. (Coll. P. F. n. 1859).

² Pius IX. Const. *Apostolicae Sedis*.

³ Decr. S. Officii 19 April. 1893 (Mon. Eccl. tom. VIII. p. I, pag. 77).

quam ipsi absolute et positive praedictam damnatam societatem in perpetuum reliquerint ¹.

171. Cum Apostolica Sede, ut omne erroris periculum arceatur, damnamus et proscribimus omnes societatis massonicae aliarumque ex ea prognatarum catechismos et libros, ad earum defensionem exaratos, sive typis editos sive manu scriptos, earumque omnia et singula diaria seu ephemerides ².

172. Gravior peccant et plerumque excommunicationis poenam, Romano Pontifici reservatam, incurrunt fideles, qui choreis aliisque solatiis intersunt, quae a membris societatis massonicae, uti talibus, haberi solent ³. Et pro certo habeant censuram semper incurri, quoties praesentia ac participatio huiusmodi conventibus reapse affert eidem sectae aut sectatoribus emolumentum aliquod ⁴.

173. Omnino interdicimus, ne massones notorii officium patrini in administratione Baptismi vel Confirmationis suscipiant. Illi enim, quatenus adhaereant sectae ab Ecclesia damnatae, minime idonei sunt procurandae, si opus fuerit, educationi christianae spiritualium filiorum ⁵. Tantum permissum est, specialibus gravibusque suadentibus circumstantiis, eos uti meros testes admittere ⁶.

174. Nullo pacto permitti potest, ut massones, in forma officiali, id est a secta deputati, S. Sacrificio Missae aliisque officiis ecclesiasticis interveniant. Inter-

¹ Decr. S. Officii 5 Iulii 1837 (Coll. P. F. n. 1856).

² Cfr. Pii VII Const. *Ecclesiam*, 13 Septembris 1821.

³ Cfr. Litt. S. C. de Prop. Fide 15 Iulii 1876 (Coll. P. F. n. 1862).

⁴ *Ibid.*

⁵ Instr. S. Officii 5 Iulii 1878 (Coll. P. F. n. 1863).

⁶ Instr. S. Officii ad Praef. Miss. Tripol. an. 1763 (Coll. P. F. n. 606).

dicendum quoque est ne clerus iussioni seu desiderio massonum pareat, pro celebrandis Missis seu officiis ecclesiasticis, uti a massonibus indictis seu postulatis, seu uti talibus in invitationibus ac in publicis ephemeredibus enuntatis¹. Et omnes fideles speciatim abhorreant ab illis sectae massonicae et massonum fraudibus, quibus, sub specie religiositatis, imo sub sacrilega, impia et blasphemata praetensione cultus eiusdem sectae erga S. Ioannem Baptistam, pestiferam suam pravitatem cohonestare non timent, ut incautos animos decipiant, ne coram populo catholico videantur tales, quales reapse existunt.

175. Nullo modo tolerari potest, ut matrimonia, quae a massonibus contrahuntur, cum omni solemnitate ritus catholici celebrentur. Immo vero, si quis matrimonio coniungi postulat, qui noscitur sectae massonicae adscriptus esse, parochus totis viribus in id incumbere tenetur, ut is illi sectae renuntiet; quod si renuerit, sedulo curandum est, ut sponsa ac parentes eius, opportunis exhortationibus, a tali coniugio deterreantur. Quando vero parochus nullo modo potest huiusmodi matrimonium impedire, et prudenter timet, ne ex denegata matrimonio assistentia grave scandalum vel damnum oriturum sit, res deferenda est ad Ordinarium, qui, iuxta instructiones Sanctae Sedis et doctrinam S. Alphonsi, quid in singulis casibus faciendum sit, decernat; quo in casu, parochus matrimonio passive intersit, id est absque benedictione, aliove ritu ecclesiastico, tantum tamquam testis auctorizabilis, dummodo cautum sit omnino catholicae educationi universae proles, aliisque similibus conditionibus².

¹ Instr. S. Officii 5 Iulii 1878 (Coll. P. F. n. 1863).

² Cfr. cit. decr. S. Officii 5 Iulii 1878 (Coll. P. F. n. 1863); 25 Maii 1897

176. Ecclesiastica sepultura massonibus notoriis concedi non potest, nisi, debita retractatione emissa, per absolutionem Deo et Ecclesiae fuerint reconciliati. Si quando vero morte praeventi retractationem rite emittere non potuerint, dederint nihilominus ante mortem signa poenitentiae et devotionis, tunc poterit eis concedi sepultura ecclesiastica, vitatis tamen ecclesiasticis pompis et solemnitatibus exequiarum. Praeterea ecclesiastica sepultura carere debet, qui, etiam post receptionem Sacramentorum, ipsemet postulaverit sepeliri adhibitis signis sectae massonicae, nisi hanc voluntatem postea retractaverit. Si vero, perversa aliorum opera, contra vel praeter defuncti voluntatem, emblemata sectae massonicae feretro apposita fuerint, cognita eorum appositione, statim amoveantur, et omnino ante associationem cadaveris¹.

177. Praeter istas, sunt et aliae sectae prohibitae atque sub gravis culpa reatu vitandae, inter quas praecipue recensendae sunt illae omnes, quae a sectatoribus secretum nemini pandendum et omnimodam obedientiam occultis ducibus praestandam iureiurando exigunt. Animadvertendum insuper est, adesse nonnullas societates, de quibus licet statui nequeat an pertineant ad has quas memoravimus, dubiae tamen et periculi plenae sunt, tum ob doctrinas quas profitentur, tum ob agendi rationem quam sequuntur ii, quibus ducibus ipsae coaluerunt et reguntur. Ab his etiam fideles omnes deterrendos et arcendos esse declaramus, et eo quidem diligentius, quod, ob servatam ab iisdem quadam honestatis speciem, corruptelae periculum, quod in

(Mon. Eccl. tom. X. p. II, pag. 3); S. Poenit. 10 Dec. 1860 (Coll. P. F. n. 1528); S. Alph. de Ligor., Theol. Mor., lib. vi, tract. 1, cap. 2, n. 54.

¹ Instr. S. Officii 5 Iulii 1878 (Coll. P. F. n. 1863).

ipsis latet, difficilium a simplicibus praesertim hominibus et adolescentibus persentiri et praecaveri poterit ¹.

178. Ad vitandam omnem imprudentem agendi rationem in rebus tanti momenti, parochi, occurrentibus casibus difficilioribus, in quibus maiora mala vel graviora incommoda timeantur, ad Episcopum recurrant, qui, sive quoad admissionem patrinoꝝ, sive quoad nuptias et ecclesiasticam sepulturam, ea decernere poterit quae magis in Domino expedire iudicaverit, iuxta normas traditas in Decretis S. Officii 21 Febr. 1883 ², 25 Maii 1897 ³, 6 Iulii 1898 ⁴, 5 Aug. 1898 ⁵, et 11 Ian. 1899 ⁶.

¹ Instr. S. Officii 10 Maii 1884 (Coll. P. F. n. 1865).

² V. Appen. n. XLIX. Cfr. etiam Instr. Card. Antonelli 15 Nov. 1858.

V. Appen. n. XXI.

³ V. Appen. n. XCVII.

⁴ V. Appen. n. CVII.

⁵ V. Appen. n. CIX.

⁶ V. Appen. n. CXIV.

TITULUS III.

DE PERSONIS ECCLESIASTICIS

CAPUT I.

De Episcopis.

179. Sicut Romanus Pontifex totius est Ecclesiae magister et princeps, ita Episcopi rectores et capita sunt Ecclesiarum, quas rite singuli ad regendum acceperunt. Eos, in sua quemque ditione, ius est praesesse, corrigere, generatimque de iis, quae ad rem christianam pertinent, decernere. Participes enim sunt sacrae potestatis, quam Christus Dominus, a Patre acceptam, Ecclesiae suae reliquit. Atque huiusmodi potestas Episcopis est summa cum utilitate eorum, in quos exercetur, data: spectat enim natura sua ad *aedificationem corporis Christi*, perficitque ut Episcopus quisque, cuiusdam instar vinculi, christianos, quibus praees, et inter se et cum Pontifice Maximo, tamquam cum capite membra, fidei charitatisque communione consociet. Qua super re gravis est ea sancti Cypriani sententia: *Illi sunt Ecclesia, plebs sacerdoti adunata, et Pastori suo grex adhaerens* (Epist. 69 ad Pupianum); et gravior altera: *Scire debes, Episcopum in Ecclesia esse, et Ecclesiam in Episcopo; et si quis cum Episcopo non sit, in Ecclesia non esse* (ibid.). Ex quibus patet adhiben-